

1, 11, his verbis clarius dicitur: *Timor Domini sicut Paradisus benedictionis*. Et alibi: *Timor Domini gloria, et glorioso, et letitia, corona exultationis*, ubi Cajetanus ait: « Est corona exultationis, quia reter nam meretur salutem et perducit ad eam; siquidem dem: *Beati omnes, qui timeant Dominum.* »

#### ADDITIO.

a. — *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam et timerunt valde*. Filius Dei de quo Isaias, III, 7, dicit: *Quasi Agnus coram tondente se obmutescet*, a Joële Propheta, III, 16, tanquam leo in ipsamet Jerosolyma rugiens describitur: *Dominus de Sion rugiet et de Jerusalem dabit vocem suam*, quia in valle Josphat, sicut *parturiens loquitur*. Et Psalmista, Ps. cxviii, 13, affectuosis hisce verbis se Deo recommendabat: *Aspice in me et miserere mei*. Licet enim Rupertus Abbas obtutus Christi vocet, « fenestras salutis et patentes misericordiae januas; » attamen in illa die oculi Christi extenso superciliorum suorum arcu, fulmine evibrabant et sagittas: *Asperit et dissolvit gentes et contriti sunt, montes sæculi, incurvati sunt colles mundi*. Habac., III, 6. Porro de voce ejus, Isaias, xxx, 27, inquit: *Ardens furor ejus; labii ejus repleta sunt indignatione et lingua ejus, quasi ignis decorans*. Tametsi Filius Dei in monte Thabor, jucunda facie et quasi jubilans conspiceretur; attamen tres illi Apostoli ibidem presentes, mox ut vocem illam audierunt: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit; timerunt valde et ceciderunt in faciem suam*. Quod si igitur dilectissimi hi ejus discipuli, Magistrum suum in gloria positum audientes, vocemque æterni Patris benignissimam audientes, præ timore contremuerunt, quisnam pavore ille futurus est, quem impit ex tonitribus iracundæ vocis Christi iudicis sunt concepturi?

#### VERSUS 7.

*Et accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, nolite timere.*

1. — Lucas Brugensis ait: « Non solo sermone discipulos animat, sed et tactu confirmat, ut omnem discutiunt metum, ne forte spectrum suspicentur. »

2. — Dum nos, ut sepe accidit, in multa peccata labimur, Deus est, qui ad nos sublevandos et erigendos, divina nobis pietatis suæ manum porrigit. S. Job in sterquilinio a vertice capitis ad plantam pedum usque ulceratus sedens, afflictionem illam quendam manus Dei tactum appellavit: *Manus Domini tetigit me*, quia revera morbi, adversitates et ærumnæ, quas Deus nobis immittit, divinæ manus blandimenta sunt, quibuscum nos a peccato denuo erigere intendit: *Accessit et tetigit eos, dixitque eis, Surgite.*

3. — S. Paschasius, *lib. VIII in Matth.*, ait: « Porro quod accedit post tantam gloriam, clementia est, quod tangit, potentia reformatantis, ut ea « manu recreentur ad fidem, quia creati erant ad vitam. »

4. — Porro Psalmista quidem nos ad approximandum Deo dulciter invitat, *Psal. xxxiii, 6*, dicens: *Accedite ad eum*, simulque hujus approximationis fructum exponit, dum protinus subdit: *Et illuminamini*. Longe tamen major estimandus est favor ille specialissimus, quo Deus non dignatur, dum ipsemet proxime ad nos accedit: *Et accessit Jesus et tetigit eos*; hanc autem specialissimam prærogativam et gratiam propriissime in sacratissima Eucharistia invenimus, in qua Deus non solum ad nos, sed et in nos venit, nosque tam dulciter amplexatur, ut unum idemque fiat nobiscum. *Qui manducavit carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*. Joan., vi, 57.

#### VERSUS 8.

*Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.*

1. — Jansenius ait: « Circumspicientes viderunt « Jesum, eumque solum, ut intelligerent vocem « illam ad Jesum pertinere, non ad Moysen et « Eliam; » hoc autem accidit, ut S. Anselmus advertit, post sublatam, quæ illis antea apparuerat, lucidam nubem: « Viderunt Jesum stantem ablata « nube, et Moysen et Eliam evanuisse; » causa autem illius, quæ ab eodem Anselmo adducitur, hæc est: « Quia postquam legis et Prophetarum « umbra discessit, quæ velamento suo Apostolos « tegerat, verum lumen Evangelii reperitur. » Jansenius cum eodem fere concordat, dum ait: « Ut « intelligeremus unum Jesum nobis satis superque « esse, et postquam legis et Prophetarum umbra « discessit, omnia in Evangelio reperiri. » Denique S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Iste est effectus confortationis divinæ, quia a Christo confortati non « vident, nisi Jesum, nec in ullo gaudent, vel confortantur, nisi in ipso. »

#### VERSUS 9.

*Et descenditibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurget.*

1. — Salvator transfigurationem suam, et consequenter se Filium Dei esse, nequaquam in vulgus divulgari volebat, ne populus sese adversus Scribas, Phariseos, Sacerdotes, cunctosque alios erigeret, ejusque Passionem impediret. Ita censet S. Remigius, vel etiam prout S. Joan. Damascenus existimat: « Hoc præcepit Dominus, sciens discipulos adhuc imperfectos, ne corda aliorum, qui

« non viderent, subverterentur tristitia, et ne proditor invitaretur ad invidiæ rabiem. »

2. — Dionysius Cartusianus, in *Luc.*, alias rationes adducit. Dicit enim id factum esse: « *Primo*, ut doceret propriam perfectionem, excellentiamque; quam diu hic vivimus, occultare, « nisi forte causa valde idonea requirat oppositum.

« *Secundo*, ut personis devotis daret exemplum, non « faciliter, nec sine rationabili causa revelationes « suas manifestandis. Tertio, ne visus ista ob sui « magnitudinem incredibilis putaretur, et sic alii « non credendo peccarent. Quarto, ne tempore « Passionis gravius scandalizarentur, qui ante poterant edificari ex visionis hujus relatione. »

## FERIA SECUNDA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VIII, VERS. 21

21. Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini: quo ego vado, vos non potestis venire.

22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire.

23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit ei Jesus: Principium qui et loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

27. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, et a me ipso facio nihil.

29. Sed sicut docuit me Pater, hæc loquor, et qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.

#### VERSUS 21.

*Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini; quo ego vado, vos non potestis venire.*

#### Ego vado.

1. — Nimirum mortem suam duobus hisce verbis prædicit. Unde Bonaventura, in *Joan.*, ita exponit: *Ego vado*, scilicet moriendo; dicit autem in presenti *Ego vado*, non vero, Ego vadam, quia de futuro tanquam de presenti loquitur, ut notat Interlinearis et Hugo Cardinalis, ut sit sensus: « In « proximo est ut vadam; vel quia futura sunt ei « quasi presentia, vel quia jam præsens erat mors « ejus, quantum ad iniquas machinationes Phariseorum, quia jam conceperunt mortem ejus. »

2. — Observandum est autem quod mortem suam abitu seu profectioem appellet: *Ego vado*. Unde S. Augustinus, *tr. xxxviii in Joan.*, ait: « Christo Domino mors profectio fuit illuc, unde « venerat et unde discesserat. » S. Thomas autem dicit: « Et unde non discesserat; » voluitque hoc loquendi modo, ut idem S. Doctor dicit, denotare

quod ultro citroque et ex propria voluntate sese morti exponeret: « Voluntarie moritur, scilicet « vadens et non ab alio ductus. *Joan.*, xvi, 5: *Vado ad eum qui misit me*. Et infra, x, 18: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego, etc.* » Cum qua expositione etiam Theophylactus consonat, dum ait: « Ut monstret quod præsciat suam mortem, et « ejusdem illorum virtutis opus sit crux, sed « ejusdem voluntatis suæ. »

3. — Porro hæc incarnata Sapientia ipsamet in Proverbiis, viii, 31, de seipsa dicit: *Deliciae meæ esse cum filiis hominum*; quod si ita est, quomodo se nunc ab illis discedere, eosque relinquere velle declarat. Responderi potest idem quod idemmet Redemptor Apostolis ob viciniam Passionem suam moestis, *Joan.*, xvi, 7, dixit: *Expediit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*; etenim hic ejus a nobis discessus seu abitus ad nostram redemptionem ordinabatur et ut corporalem suam in Ecclesia presentiam per perpetuam permanentiam tanto magis stabiliret, *Matth.*, xxviii, 20: *Eccce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

4. — « Præsens verbum, » inquit Origenes, « minatur Christi recessum. » Eratque hic Christi ab illo populo recessus acerbis supplicium quod vindictiva Dei iustitia populo illi comminari poterat, dum videlicet illos se comminatur derelicturum; hic autem [d]ecessus et derelictio propria ipsorum culpa eis eveniebat, quia videlicet et mortem machinari continuo nitentur; neque enim Christus Hobraismum unquam deseriturus fuisset, nisi hic omni studio, omnique adhibito virium conatu ipsum a se propellere et prorsus abjicere satogisset. Unde veritas illa sacri Concilii Tridentini, sess. VI, c. x, perspicue deducitur dicentis : « Quod nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. »

5. — Enimvero bene ponderanda est ingens illa iactura, quam homo patitur, dum Deus ab anima illius recedit; de hac enim S. Basilius ita scribit : « Nulla atrocior pena, cæteras omnes vincit calamitas hæc, deseri a Deo. » Unde postquam Deus, Ose., ix, 12, acerbissima populo huic supplicia comminatus fuisset, tandem hanc comminationem per formidabilissimam hanc comminatum penam in fine his verbis concludit : *Vae eis cum recessero ab eis.* Christus semetipsum huic populo, sub symbolo medici dedicavit, *Matth., ix, 12*, ait : « Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus; » ac proinde sicut non est evidenter desperata salutis alicuius infirmi signum, quam si medicus infirmum talem in summo ægritudinis excessu positum totaliter deserat; ita quoque Filius Dei certius reprobationis Judæismi signum allegare non poterat, quam dum eidem dicit : *Ego vado*; unde protinus sequitur : *Et in peccato vestro morietur.*

6. — S. Bernardus, ut nos a vitiorum præcipitiis retrahat, salubriter nos hisce verbis, *Serm. viii de Posse*, hortatur : « Quid enim est quod omnes homines ad peccandum instigat, nisi ignorantia boni quod perditur et mali quod peccando incurritur? » Michæas idolum quoddam sibi sculpi fecerat, quod in domo sua, cultu et veneratione quotidie prosequeretur, eoque fine Levitum quemdam, veluti quotidiani cultus sui ministrum, sibi pretio conduxerat; accidit autem ut idolum istud una cum aliis pluribus bonis eidem Michææ furto subreperetur; quo furto vir ille adeo mente consternatur, ut furtum illud amarum lachrymis inconsolabiliter defleverit et planxerit; ab aliis autem de causa fletus sui interrogatus, *Jud., xviii, 24*, respondit : *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, et sacerdotem et omnia quæ habeo et dicitis mihi, quid tibi est.* Hic vir partem aliquam marmoris vel metalli amiserat, ex tali namque materia falsum idolum simulacrum utique fabricatum fuerat, diabolus ei e domo sublatum fuerat et ideo amare plangebat; quanto igitur magis sanguineis lachrymis tot hominum malitia deploranda venit, qui, dum per

peccata sua, Deum vivum et verum amiserunt, tantum abest, ut ob eam ineffabilem iacturam lamententur et doleant, ut potius ob receptum in corde suo dæmonem exultent et videant, *Prov., ii, 14* : *Lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis.* Imo ipsum libenter et lætenter amittunt, ipsumque, ut ab eis recedat, eosque derelinquat, rogant, amantes potius sibi vicinas esse voluptatum et carnalium delectationum occasiones, quam Deum, cuius timore ab illis invitentur. Unde S. Propheta Job, postquam mundanorum hilaritates et vana gaudia exposuisset, dicendo : *Ducant in bonis dies suos*, paulo post de isdem dicit : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis et scientiam viarum tuarum nolumus*; sed quoniam ob hanc impietatem fore maledicti supplicio? Idem Job, *xxi, 13*, dicit : *In puncto ad inferna descendunt.* Id quod optime cum illis Psalmiste verbis consonat, *Psal. lxxvii, 27, 28*, quibus dicit : *Ecce qui elongant se a te, peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te : Mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Rupertus Abbas super illum textum Osee, *ix, 12* : *Vae eis cum recessero ab eis*, ita scribit : « Non solum hoc malum erit eis, ut fiant absque liberis, sed postquam recessero ab eis, postquam tradidero eos in manu hostili, sequitur adhuc vae, id est, iudicium æternæ damnationis, id quod per dictum Psalmistam probat, *Psal. lxxi, 10*, qui postquam dixisset : *Tradentur in manus gladii*; confestim addidit : *Introbunt in inferiora terre.*

#### Et quaeritis me.

7. — Origenes quaerit, qua ratione, hoc quoad Judæos impletum fuerit, quod scilicet illum essent quaesituri : « Quaerere enim Jesum, est quaerere veritatem et sapientiam. » Et Psalmista, *Psal. civ, 4*, exhortatur : *Quaerite Dominum et confirmamini*; quorum neutrum in Judæis invenitur. Tandem vero ipsemet dubium solvit, dicendo : « Et de persecutoribus aliquando dicitur, quod quaerebant eum capere; » quod idem est cum eo, quod Angelicus Doctor ait : « Impie quaerent, et odio ad persequebantur. » At vero instare aliquis poterit, ex quo Salvator noster mortem suam prædixit, per illa verba : *Ego vado*, illaque ab ipsemet Judæis ei inferenda erat, quomodo illum post mortem quaerere poterant? Dici quidem ad hanc instantiam posset, quod si Judæis post Christi a mortis resurrectionem, permissum fuisset, utique novas illi struxissent insidias, eique de novo mortem machinati fuissent. Verumtamen Rupertus Abbas Tulliensis, *lib. VIII in Joan.*, in persona Christi melius respondet, dicens : « Numquid postquam abiero hinc ad Patrem meum, oculi vestri a gloria mea liberati erunt? Non erit ita; sed tunc dentibus » vestris frendetis. » Dionysius Carthusianus ait : *Quaeritis*, id est, nomen meum et fidem christia-

« nam quaeritis extinguere, vel me in membris meis persecuturi estis post Passionem. » Imo Christus ipse se in servis suis, directe persecutoribus impetum esse censet. Unde contra Saulum lamentatur, dicens : *Quid me persequeris?* Non obstante, quod tunc Ecclesiam infestans persecutio, non adversus Christum immediate, sed contra discipulos, aliosque Evangelii sequaces dumtaxat moveretur.

8. — Toletus verba illa : *Quaeritis me*, de expectatione Messiae exponit, siquidem transacti jam sunt mille sexcenti et amplius anni, quibus cæcus et miserabilis hic populus Messiam quaerit et patienter expectat, adeoque in obstinatione sua morietur. « Futurum erat, ut negato et repulso vero Christo, quem præsentem habuerint, quaerent et expectarent adhuc venturum, et inde semper in errore versarentur. »

9. — Hugo Cardinalis ita exponit : « Quaeritis » tempore destructionis per Romanos. »

10. — Albertus Magnus sic explicat : « Quaeritis » per legis observationem, quæ tunc jam mortua erat et mortifera. » *Amos, viii, 12* : *Circuibunt, quaerentes verbum Domini, et non invenient.*

11. — S. Bernardus, *Serm. lxxv in Cant.*, dicit : « Attende, tres esse causas, quæ quaerentes frustrari solent, cum videlicet non in tempore quaerunt, aut non sicut oportet, aut ubi non oportet. » Ideo impii, qui penitentiam facere differunt, frustra illum quaerunt; unde notandum, quod Salvator pro tempore futuro dicit : *Quaeritis me*, et proinde mox subiungit : *Et in peccato vestro morietur*, nimis enim clara et perspicua est illa Ecclesiastici, *v, 8, 9*, sententia : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius et in tempore vindictæ disperdet te.* Et ideo Hugo Cardinalis verba illa, hæc Glossa illustrat : « Quaeritis me » sero penitentes. » Quodsi vero verborum illorum : *Quaeritis me*, sensus hic sit, quod multi ipsam post passionem et mortem ipsius quaesituri, sed minime inventuri sint, utilissimam profecto doctrinam nobis subministrant, nimirum quod illum in vita, non vero in hora et momento mortis nostræ quaerere debeamus, siquidem per calamum Spiritus veritatis, qui fallere nequit, nobis satis perspicue significavit, dicens : *In itinere vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, evenerit.* Et ideo irremediabilis est illorum error, qui penitentiam suam in tempus usque futurum differunt; quos notat verbum : *Quaeritis*. Optimum est itaque illud Isaie, *lv, 6, 7*, consilium, qui non dicit : *Quaeritis*, sed *quaerite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est; derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserabitur ejus.* Ubi bene notandum, quod non dicit in futuro tempore : « Dere- » linquet, revertetur, » sed in tempore præsentis loquitur; ac proinde de hoc quadragesimali tem-

pore, verba isthæc auribus nostris frequentissime insonant, *II Cor., vi, 2* : *Eccce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Unde Origenes ait : « Se » abiturum minatur : *Ego vado*; at, si cum abierit, ipsum quaeramus, non inveniemus, sed morietur » in peccato nostro. » Secundum obstaculum, quod nos impedit, quo minus illum inveniamus, est, quia quaerimus eum, non tamen sicut oportet. Herodes alias etiam Christum quaerebat, sed ad necem illi inferendam. Unde Eusebius Emisenus, *Hon. i de Nat.*, ait : « Fallitur stulti furor tyranni; » Christum non potest invenire perfidia, Deus non crudelitate, sed credulitate quaerendus est. » Hæc proprie Judæorum vesania erat, qui Salvatorem quidem quaerebant, non tamen ut ab eo sibi salutem adscirent et in ipsum crederent, sed ut necem crudelissimam ei inferrent. Origenes fines et motiva quorundam considerat, qui propter interesse et lucra temporalia ipsum quaerunt; dicit enim : « Differentia sunt eorum, qui quaerunt » Jesum, non omnes enim pro eorum salute et » utilitate quaerunt eum. » S. Thomas ait : « Quidam » quaerunt Christum pie ex charitate, et hanc inquisitionem sequitur vita. *Psal. lvm, 33* : *Quaerite Dominum et vivet anima vestra.* » Ex alia vero parte, multi quidem Deum ardentem quaerunt et colunt, ut commercia, sanitatem, liberos, divitias et honores ipsorum adaugeant; hi tales Deum non quaerunt, sed in Deo lucra sua sectantur; ac proinde quondam graviter lamentabatur, *Joan., vi, 26*, dicens : *Anen dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis.* S. Bernardus secundum hoc impeditum quoad desidium et negligentiam nostram exponit, unde ut nos ad debitam sollicitudinem excitet, fervorem celestis Sponse in exemplum adducit, dicens : « Non tepide, aut negligenter, aut » perfunctorie quaerit Sponsa, sed corde ardenti et » omnino infatigabiliter quaerit, plane ut deceat. » Tertius obex, propter quem Deum non invenimus, est, quando quaeritur ubi non oportet, adducitque ad hoc illustrandum ejusdem Sponse exemplum, quæ dicebat, *Cant., iii, 1* : *In lectulo meo quaesivi per noctem quem diligit anima mea*; neque enim Deus inter voluptates atque delicias invenitur, *Job., xxii, 21* : *Nec invenitur in terra suavis viventium, nec in plateis et conversationibus, sed in secreto orationis, Ose., ii, 14* : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus.* S. Philippus Neri dicere solitus erat, Christum ibi vel maxime inveniri, ubi non est, quod dictum suum declarabat hinc fere in modum. Christus enim haud dubie nunc in caelo ad dexteram Patris impassibilis et immortalis residens, existit; quod si tamen illum invenire volumus, illum non hic, sed in cruce passibilem, sive inter medias hujus vite ærumnas, sive in præsepio, etc., quaerere debemus.

*Et in peccato vestro moriemini.*

**12.** — Lyranus, ad hoc melius declarandum, præfæcit quamdam, valdeque usitatam adducit similitudinem; sicut enim sole ab hemisphærio nostro recedente aer densissimis repletur tenebris: « Ita similiter Christus, qui est sol justitiæ, ex hoc mundo per mortem decedente, Judæi pro majori parte sunt obtenebrati tenebris infidelitatis, et in eis obstinati. » Quotidiana etenim experientia per tot sæcula manifeste comprobatur, quod obstinatio Judæorum, in infidelitate contra Christum, semper adaugeatur et crescat, nec dubium est, quin obstinatio illa ad finem usque sæculorum duratura sit, quando reliquæ Israel salvæ fient. « In peccato vestro, » inquit Bonaventura, « moriemini, scilicet in vestra infidelitate; justus enim ex fide vivit. » Lucas Brugensis ait: « Prænuñtiavit illis Dominus, diciturque sententiam, præsciens, ait Augustinus, quod in suo peccato morerentur, quos sciebat nunquam ad se convertendos. » Cajetanus idipsum confirmat, pariter subjungendo, hujusmodi prædicationis effectum ad usque dies nostros, quotidie verificatum et adimpletum videri: « Quod usque in hodiernum diem verificari videmus, moriuntur enim Judæi in peccato infidelitatis suæ erga Jesum. »

**13.** — Lyranus hac propositionem in alio quodam, longe a priori sensu diverso, declarat, dicens: « In peccato, id est, propter peccatum vestrum moriemini, quia propter persecutionem Christi et Apostolorum, civitas Jerusalem destructa est, et templum combustum, et populus occisus ab exercitu Romano. »

**14.** — Origenes ad hoc se reflectit, quod illi, quibuscumque Christus loquebatur, vivi etiamnum erant: « Sed vivebant in infirmitate animæ, et infirmitas illa ad mortem erat, propter hoc Medicus, videns illos graviter infirmantes, dicebat: *Et in peccatis vestris moriemini.* » Siquidem semper incredulitas eorum magis magisque adaugebatur. S. Thomas ait: « Exaggerat eorum obstinatum pernicitatem. » Toletus hoc modo exponit: « Nemo enim peccatorum suorum remissionem habere potest, nisi in me credat; qui igitur in me non credit, morietur in peccato suo. »

**15.** — Euthymius dicit: « Propter vestram peccatum, morte estis puniendi, » illa nimirum, de qua scriptum est: *Mors peccatorum pessima* siquidem corpus et animam perdit in gehennam. Hugo Cardinalis ait: « In peccato vestro moriemini morte æterna. » Dionysius Carthusianus dicit id intelligendum esse formaliter, « id est, peccatum vestrum contra me erit mors animæ vestræ, quia mortale fuit et causa damnationis vestræ. »

**16.** — Considerat hoc loco serio, quid sit in peccato, in statu iræ Dei perire, in perditionis bara-

thrum præcipitari, Deique simul et Paradisi irremediabilem jacturam pati.

**17.** — Alii exposuerunt de pertinaci Judæorum, adversus Christum, ad mortem usque durante odio. Unde Lucas Brugensis ait: « Nempè in odio meo vitam finietis, perseverabit in eo usque ad mortem. » El Cajetanus ita exponit: « Moriemini in peccato persecutionis meæ. »

**18.** — Porro multis eheu accidit, quod, quia ad inspirationes et voces Dei surdi fuere, atque in habituatis peccatis suis pertinaciter persisterent, ideo postea in fine vitæ suæ Deum querant, nec tamen inveniant, quin potius desperati moriantur, quia Deus justo judicio in ipsorum penam permittit, quod vel confessarius eo tempore inveniri nequeat, vel tunc pridem, cum infirmitati delirium superaccessit, adveniat, vel quod sanctissima communio, aliaque sacramenta debito tempore non adsint.

*Quo ego vado, vos non potestis venire.*

**19.** — Salvator noster hisce verbis, Hebræis reprobationem eorum longe clarius prædicit. Unde S. Thomas ait: « Prænuñtiat mortis damnationem, et a gloria exclusionem. » Hugo Cardinalis mortem inferni significat dicens: « Quasi dicat: Moriemini in inferno, quia ad gloriam meam non potestis venire tales, quales estis. »

**20.** — Theophylactus Dominum ad suam resurrectionem alludere voluisse credit. Unde ait: « Ostendit, quod resurrecturus sit ipse quidem in gloria et consessurus ad dexteram Patris, ipsi autem in suis peccatis morituri. »

**21.** — Hugo Cardinalis ait: « Non potestis venire, quo ego vado, quia corda vestra premuntur onere peccatorum. »

**22.** — Notandum quoque est, quod tametsi mortem suam imminenter prævideret et prædixit, dicendo: *Ego vado*, nihilominus tamen Judæis simul significatum esse voluerit, quod ipsi mortem hanc ei machinatum ultimum quoque sibi conciliaturi sint exterminium et perniciem. Unde dicit primo: *In peccatis vestris moriemini*, et paulo post subdit: *Quo ego vado*, etc. Et hoc maxime a turbavit eos, » inquit Hugo Cardinalis, « cum audirent, quod nec morte ei nocere possent, Christus autem hoc dixit, ut faceret eos aliquid magnum de se imaginari et verum Deum esse credere, quia illius solius est, sua virtute, morte non detineri, etiam cum in morte existat; » quo modo loquendi illis, se morte et quibusvis aliis persecutionibus et machinationibus ipsorum superiorum esse indicare voluit.

**23.** — Ex alio quoque capite, Christus justam habebat rationem dicendi: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, quia via, quam Christus gradiēbatur, omnino contraria est illi, quam ingrediuntur mundani; unde impossibile est, quod sibi mutuo occur-

tere possint, Christus enim erat in procinctu, ut in cælum ascenderet, illi viam ingrediebantur inferni. Oh quam etiam causam Christus cuius peccatori merito dicere potest: *Perversa est via tua, mihi que contraria*. Num., xxxi, 32.

#### VERSUS 22.

*Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?*

**1.** — S. Thomas opinionem refert Origenis, qui in Judaismo traditionem fuisse scribit, Messiam pro sua libera voluntate, tempore sibi bene viso et placito moriturum esse, id quod S. Joannes, x, 18, de Christo pariter verum esse insinnavit, ideo namque Christus de seipso dicit: *Ego pono animam meam et iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso*. In Isaia quoque, cap. lxxii, 12, scribitur: *Pro eo quod tradidit animam suam in mortem*; quia igitur Judæi aliquale indicium, unde clare scitis ipsum promissum in lege Messiam esse, cognoscere poterant, ideo hunc discursum et opinionem in medium produxerunt, an scilicet pro suo libitu se interficere vellet; at vero ut S. Thomas ait: « Contumeliose hoc profertur, numquid interficiet se, hoc est, numquid anima ejus, cum ipsi placeret, egredietur, relicto corpore? »

**2.** — « Stulta verba, » inquit S. Bonaventura, « quasi, si de morte diceret, non poterant eum sequi. » Christus igitur verba de gloria regni cælestis, ad quam properabat, intellexit; prævidebatque ipsos culpa sua ad eundem ipsum præcedentem minime sequi posse. S. Thomas ait: « Quæ quidem secundum Augustinum stulta opinio est. Numquid enim non poterant venire, quo Christus perrexit, si interficeret semetipsum? » At vero justas hujus contumeliæ et subsannationis penas luere debuerunt: « Ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. Sap., xi, 17. Cum eorum plerique sece interemerint, » inquit Janenius, « maxime in Romanorum expugnatione, ut patet ex Josepho, ut rursus jam in eorum opprobrium conversum sit, quod per concivium hic Domino objecerunt. »

**3.** — Rupertus Abbas Tuitiensis continere se nequit, quin Judæis malignitatem et stultitiam ipsorum impropere, quam in hoc adeo temerario loquendi modo prodiderunt: « Quid amarior? Quid nequius? O Judæi homicidæ crudelēs et scelerati, addeone nil boni de hoc homine, qui mortuos vestros suscitavit sentire potestis, ut hoc solum quod interficiet semetipsum, vis ejus superesse arbitremini? Imo vos interfecto homine isto, vos ipsos interficietis tanto furore, tanta rabie, ut

« miretur orbis, et vestri quoque condoleant inimici. »

**4.** — Toletus Judæos ideo dixisse existimat: *Numquid interficiet semetipsum*, quia existimarent consilia inferendæ Christo necis, quo machinati fuerant, adeo certe et infallibiliter sum esse habitura effectum, ut ipsi nullus posset esse manus illorem evadendi modus reliquus quam si semetipsum interficeret. Et ideo dicebant: *Numquid interficiet*, etc., quasi in cordibus suis dixissent? « Sic enim evadet manus nostras, » adeoque illis verbis non solum probabant sinistram et perversam intentionem suam, « qua non solum animo conceperant, et in votis habebant Christi mortem, sed indicabant etiam studium, quo cum comprehendere querebant, tanto enim desiderio eum occidendi querebant, ut non aliter eorum manus Christum evadere posse crederent, quam per mortem sibi illatam a seipso. »

**5.** — « Quæ autem convenientia, » querit Janenius, « intelligere aut suspicari ex verbis Domini, ipsum sese interficere? An, qui se interficit, aliquo vadit? Aut si aliquo vadit, annon etiam Judæi eo abire poterant? » Cui interrogationi in aliud responsum dari nequit, quam per illa verba Dionysii Carthusiani, dicentis: « Passionati et invidi omnia interpretantur in pejus, » præterquam quod, ut S. Thomas ait, « carnaliter intelligebant. » *1 Cor., ii, 14: Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei.*

**6.** — Cornelius a Lapide Judæos dicere voluisse existimat: « Eat quocumque vellet, nos persequemur eum; eat ad gentes, non retrahemur eum et occidentes. Ergo per hoc quod dicit: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, vult significare, quod interficiet seipsum, ut a nobis capi, excarnificari et occidi non possit; presumptiosa et fatua erat hæc eorum cogitatio, sed quam odium et livor eis dictabat. »

#### VERSUS 23.

*Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.*

*Vos de deorsum estis.*

**1.** — Janenius ad verba subsequentia se reflectit, ut exinde horum verborum expositionem elicere possit; existimat enim, quod sapientissimus Magister noster eorum que antea dixerat, rationem reddere intenderit: « *Morietur in peccato vestro, et quo ego vado, vos non potestis venire*; significat enim se ob divinam suam naturam in cælum ascendurum, unde venit in mundum; ipsos autem, quod sint ex terra origine et affectu, non posse propriis viribus in cælum conscendere, nisi ipse

« eos illo trahat et ad se assumat, quod futurum non est, nisi in ipsum credant. »

2. — Lyranus Christum ad naturæ debitum alludere voluisse existimat, quo ipsi mortem, veluti peccati supplicium necessario luere debebant, ad differentiam sui, qui omnis peccati expertus, tale debitum nunquam contraxit : « Vos de dorsum estis, id est, de massa corrupta pondere originalis peccati, et ideo habetis debitum mortis et necessitatem moriendi, propter quod separatio animæ a corpore non subjacet simplici vestræ voluntati. »

3. — Beda verba illa de immoderata adhesionem, qua Judæi bonis hisce temporalibus adnexi erant, exponit : « Ideo terram sapitis, quia sicut serpens terram manducatis; quid est terram manducare? » Terrenis pacemini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum cor non habetis. » Ad supplicium serpenti adeo illatum alludit : *Terram comedes*; at vero ex quo serpens infernalis purus spiritus existit, quid opus habet nutrimento et quidem nutrimento tali? Quænam est terra illa, quæ serpenti huic in cibum destinata fuit? Rupertus Abbas ait : « *Terram comedes*, et non cœlum, id est, non quorum conversatio in cœlis est, sed qui terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt. »

#### Ego de supernis sum.

4. — S. Thomas ait : « Quia non habuit affectum ad mundana et infima, sed ad superiora, in quibus anima Christi conversabatur. » Toletus auctoritatem adducit Tertulliani in lib. de Trinitate ita scribentis : « Ideo nunc Christus in unam partem solius divinitatis incubuit, quoniam cœcitas Judaica solam in Christo partem carnis asperit, ideo in presenti loco corporis fragilitate, quæ de mundo est, silentio preterita, de sola sua divinitate locuta est, quæ de mundo non est, ut, in quantum illi inclinaverant, ut hominem tantummodo crederent, in tantum illos Christus ad divinitatem suam considerandam traheret. » Lyranus, quanto cum jure Christus hoc asserere poterit, considerat, quia secundum naturam divinam cum aeterno Patre suo idem erat, quoad vero humanam naturam, anima a Deo creata, corpus vero opera Spiritus Sancti in utero virginali organisatum et formatum fuerat : « Et propter hoc habebat plenum dominium in corpus suum, separando animam ab ipso et reuniendo, secundum quod dicitur infra, *cap. x, 17* : *Potestatem habeo ponendi animam meam*, etc. »

5. — Porro ab hac Christi declaratione perspicue deducitur, quod Christus a nobis, in rebus hisce temporalibus et terrenis, nunquam invenietur; siquidem de seipso dicit : *De supernis sum*; ac proinde salutare est illud S. Apostoli monitum, *Coloss., iii, 1*, dicentis : *Quæ sursum sunt, querite*,

*ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.*

#### Vos de mundo hoc estis.

6. — Beda ad horum verborum sensum exponendum, late non minus quam utiliter diffunditur; dicit enim : « Quia peccatores erant, quia iniqui erant, quia infideles erant, quia terrena sapiebant. » Numquid Apostoli et Sancti de hoc mundo non erant? Erant quidem, quia de Adam nati sunt; sed ipsa veritas de his ait : *Ego elegi vos de mundo*, id est, de carnali conversatione, quæ mundi nomine hoc loco significari videtur. » Quicumque respectus humanos attendunt et mundi hujus leges sequuntur, Evangelio et legi Christi sese conformare nequeunt. Unde S. Jacobus dicit : *Nescitis, quia amictio hujus mundi inimicus est Deo? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

7. — Glossa Interlinearis ait : « In peccato nati, adhuc in eo vivitis. » S. Bonaventura de affectibus nostris terrenis, bonis hisce temporalibus nimis profunde immersis, exponit : « Quantum ad affectiones deprimentes, et mundo affigentes et a cœlestibus separantes; et sic inficientes, et fœdantes. » S. Bernardus, *Serm. de miser. hom.*, salutare hoc monitum nobis post se scriptum reliquit : *O homo, quanto magis ad mundum accedis, tanto longius a Deo recedis.* Certum quidem est, quod omnis homo, quomodo hic in terra vivit, in mundo non morari et cum mundo non conversari non possit; verum advertendum est, quod non tam bonorum temporalium possessio quam nimia adhæsiō ad illa prohibeatur. Unde idem mellifluus Doctor super illa verba, *Matth., xv, 27* : *Eecce nos reliquimus omnia*, inter cetera ita scribit : « Plus concupiscentia mundi quam substantia nocet. »

8. — Idem Beda in hoc loco evidentissimum quoddam manifestat indicium, unde velut ex infallibili quodam signo colligere possumus, quando aliquis plus vel minus ad mundum hunc spectet : « Nemo dicat, de hoc mundo non sum; quisquis es, o homo, de hoc mundo es; sed venit ad te qui fecit mundum et liberavit te de hoc mundo; si delectat te mundus, semper vis esse immundus; si autem jam non delectat te hic mundus, jam tu eris mundus; qui plus peccat, plus est in mundo, et plus immundus, et quanto quis se mundat a peccato, tanto se declarat de mundo non esse. »

#### Ego non sum de hoc mundo.

9. — S. Augustinus argumentum quoddam facit, cui non video quid replicari possit : « Quomodo enim, » inquit, « erat de mundo, per quem factus est mundus? » Juxta expositionem Bedæ dicentis : « Quanto quis se mundat a peccato, tanto

se declarat de mundo non esse. » Quis est qui nesciat Christum de semetipso dixisse : *Quis ex vobis arguet me de peccato? Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ait S. Petrus, *I Ep., n, 22.*

#### VERSUS 24.

*Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

1. — Hugo Cardinalis hanc propositionem non absolutam, sed conditionalem esse observat; siquidem Dominus noster subjungit : *Si non credideritis* : « Hæc est, » inquit, « prophetia comminationis, non determinationis. » Unde subdit : *Si non credideritis.*

2. — Dionysius Carthusianus, qualiter hæc verba in bona Theologia intelligenda sint, hisce verbis explicat : « Id est, quia ad reprobos pertinētis, dixi, quia in peccatis finaliter perseverabitis, atque peribitis, quod dictum est, quantum ad certitudinem prædestinationis, per quam non auferatur libertas hominibus; unde ne omnem spem eis auferret, conditionalem adiecit : *Si enim non credideritis, fide per dilectionem operante.* »

3. — Albertus Magnus causam æternæ damnationis ipsorum, in duritiam et obstinationem ipsorum propriam conjicit : « Moriemini in peccatis vestris oblatini, quia lumen veritatis, per quod de peccatis exatis, recipere non vultis. » Etenim error ipsorum unice in hoc consistebat, quod noluerint illuminari veritate, quam licet magna ex parte agnovissent, illius tamen ignorantiam affectarunt, ut tanto amplius adversus Christum malignari possent.

4. — Toletus circa hanc Christi prædictionem advertit, quod, « quæ ab hominis pendent arbitrio, et prius quam fiant, prædicta sunt, non ideo sunt, quia prædicta fuerunt, quin potius, quia futura erant, idcirco prædicta sunt; præsentia non determinat quod futurum est, sed ostendit quod fiet; quod autem futurum est, certissimum est, non quod præsentia imponat necessitatem, sed quod in scientia sua Deus non fallitur. »

5. — Advertit quoque Beda, quod increata et incarnata Sapientia hoc loco se non Messiam aut Filium Dei appellavit, sed tantum dixerit : « *Si non credideritis, quia ego sum.* Qui nihil addidit, nullum est quod commendavit. Dixit : *Ego sum*, et non addidit, quid, sive Christus, sive Filius Dei, sive ille, quem Prophete prædixerunt, sive Salvator mundi, sive aliud aliquid, quod de eo in Scripturis legitur; » ac tandem concludit, quod ad hoc, ut Christus palam faceret, quis aut qualis esset, sufficiebat dicere : *Quia ego sum*; siquidem

jam olim Moysi dixerat : « *Ego sum qui sum*, nihil aliud melius videtur intelligi in hoc verbo, nisi *ego sum Deus.* » Idipsum quoque S. Thomas, in *Jom.*, his verbis scribit : « Ut rememoret quod dictum est Moysi, *Exod., iii, 14* : *Ego sum qui sum*, nam ipsum esse est proprium Dei. »

6. — Lucas Brugensis Salvatore Judæos in desperationem redigere noluisse dicit : « Ne putarent, quod ejusmodi mortem effugere non possent, profert modum, quo effugere queant, nimirum si credant in ipsum. » Albertus Magnus Christum illis hisce verbis viam ostendere voluisse docet, qua illis eundem sit, ne æternæ perditionis barathrum incurrant : « Ecce viam salutis, per quam solum possunt exire de peccatis; quamvis autem fides donum Dei sit, hoc tamen nulli negatur credere volenti. » Advertendum est tamen, secundum quod Lyranus notat, quod hoc intelligatur de fide bonis operibus conjuncta : « Fide formata charitate, » ac proinde Glossa citat Origenem, dicentem : « Manifestum est, quod, qui moritur in peccatis suis, quamvis dicat se Christo credere, tamen in veritate, non credit; qui enim credit iustitiam, non faciet injustitiam. »

#### VERSUS 25.

*Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium qui et loquor vobis.*

1. — Rupertus Abbas Tuitiensis hanc interrogationem ex contemptu factam fuisse existimat : « Irreverenter quidem quæsierunt, et proterve pulserunt. » Idem quoque docet Lucas Brugensis, dum ait : « Non tamen negarunt ut crederent, sed potius ex personæ contemptu, ut carperent, vel deriderent. » Lyranus in eadem est opinione, dum ita scribit : « Derisorie quærebant, quem reputabant falsum Christum. »

2. — Nequaquam igitur mirandum est, quod æternam ipsorum damnationem repetitis vicibus, hisce verbis prædicat : *In peccato vestro moriemini*; quia ipsum contemnebant et subsannabant. Manifestum signum, quod impius aliquis in profundum malitiæ suæ barathrum pertigerit, est, si virtuosè operantem aspènerit et contemnat : *Impius cum in profundum venerit, contemnet.* Prov., xvii, 3. S. Augustinus super illa verba *Psalmi xxx, 19* : *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et obusione*, unumquemque viam Dei directe ingredi volentem, impiorum subsannatione et opprobria passurum esse dicit; at vero quando putrescentia hæc ora tandem aliquando obstruenda erunt : « Quando efficiuntur muta labia ista? In hoc sæculo nequam quotidie clamant, quotidie latrant; muta fient labia dolosa, quando stabunt justi in magna consolatione adversus eos, qui se angustiarunt. Tunc dicent illi : *Hi sunt, quos*

« *aliquando hotimus in derisum, et in similitudinem improperii.* » Sap., v, 1. » Theophylactus de obstinatis hisce Judeis, qui Christum interrogarunt, ita scribit : « Post tantum tempus, post tantorum miraculorum ostensionem dicunt : *Tu qui es? Ita fuerunt insipientes et irrisores.* » Lucas Brugensis quoque super verbum, *Judicare*, ait : « Addit comminationem adversus contemptores, et irri-  
« sores, ne impunitam fore existiment perverciam suam. »

3. — Alii vero Expositores per hanc interrogationem, illos Christum instanter sollicitasse existimant, ut se per prodigia et miracula talem esse probaret, quem verum Messiam et Filium Dei esse credere possent. Interlinearis enim ait : « Qui dixisti, ego sum, et non addidisti, quid? nunc ergo dic, quis es, ut credamus. » Lyranus autem sensum hujus interrogationis Judæorum hunc fuisse dicit : « Quasi dicant : Ostende nobis, quod tu sis tantus, quod credi debeat tibi. » Nam ut Isaias, XLV, 15, ait : *Verè tu es Deus absconditus Deus Israel Sabator.* Et quidem tametsi Judæis responderi potuisset illud Gen., XXXII, 29 : *Cur quæris nomen meum?* Attamen ut malitia ipsorum tanto inexcusabilior ipsis respondit dicens :

*Principium, qui et loquor vobis.*

4. — S. Bonaventura in pauculis hisce verbis duo mysteria agnoscit : « Duo insinuantur, quorum primum est Fili Dei aeterna majestas, ibi : *Principium*; et incarnationis veritas, ibi : *Qui et loquor vobis.* » Psalmista, Psal. CIX, 3, dicit : *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Ubi Rupertus Abbas ait : « Revera magnum, dignumque est, quod hac responsione testificatus est, id enim est, ac si dixisset : Seipsum esse qui erat, et qui est, et qui venturus est. Nam quia erat, Principium se appellat, et quia est, statim subjungens ait : Qui et loquor vobis, et quia venturus est, scilicet ad judicandum vivos et mortuos in novissima die : *Multa inquit, habeo de vobis loqui et judicare.* » Beda alias hujus appellationis rationes adducit : « Principium in se manet, et innovat omnia. Principium est, cui dictum est, Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse, es, et anni tui non deficient.* »

5. — Rupertus Abbas ait : Secundum divinitatis infinitam antiquitatem Principium, in quo omnia condita sunt, sicut in exordio libri Genesis, I, 1, scriptum est : *In principio fecit Deus caelum et terram.* » Angelicus Doctor hunc titulum ipsi quoque aeterno Patri attribuendam esse asserens, quomodo idem Filio Dei et Patri communis sit, declarat, dicens : « Uno quidem modo, nomen Principis commune est Patri et Filio, in quantum scilicet sunt unum principium Spiritus Sancti, per communem spirationem, et tres personae simul

« sunt principium creaturae, per creationem. » Verumtamen nomen istud Patri magis proprium esse dicit, in quantum est principium Filii per aeternam generationem. Filius autem « dicit se principium totius creaturae. » Ita S. Thomas.

6. — In Evangelio Joannis adversus contumacem et obstinatum generationem istam Christus dicit, Joan., xv, 22 : *Si non vissem, et locutus non fuisssem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quibus verbis, ut S. Thomas notat sicut et sequentibus, Christus interrogationi ipsorum respondit, ut prorsus sint inexcusabiles : « Respondit inducens eos ad credendum. » Primo, ex sua naturae sublimitate : *Principium, qui et loquor vobis.* Secundo, ex judiciaria sua potestate : *et judicare.* Tertio, ex paterna veritate : *Qui me misit, verax est.* »

7. — Interlinearis super illa verba : *Loquor vobis*, Christum dicere voluisse asserit : « Factus homo propter vos, ut possitis me intelligere. » Cum enim hactenus nobis per ora Prophetarum locutus fuisset, nostram mortalitatem in carne assumpsit, ut immediate nos alloqueretur. *Multifariam*, inquit ad obstinatos Hebræos Apostolus, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* « Ad hoc, » inquit S. Thomas, « quod immediate ipsum divinum Verbum audiremus, eam assumpsit, cujus organo locutus est nobis. »

VERSUS 26.

*Multa habeo de vobis loqui, et judicare; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.*

1. — Toletus Christus per hæc verba dicere voluisse ait, quod, tametsi tunc illis predicaret, et doceret, peccata ipsorum dissimulando, ipse tamen multa illis opponenda habeat, q. d. « Multa vestra peccata aliquando loquar, manifestabo, et indicabo; non enim tantum Doctor et Salvator sum; sum etiam iudex, et ad me pertinet judicare vos. » Cajetanus Christum ingratitude et pertinaciam ipsorum eis improperare voluisse existimat, eo quod sibi personaliter predicanti acquiescere noluerunt; quasi sit reprehensio quedam similis illis, quam illis objecit, Joan., xv, « Quia locutus est eis, et ideo multa de ingratitude et pertinacia eorum potest loqui et judicare. »

2. — Cyrillus ait : « Non unum tantum, sed multa accusabo, et in nulla re mentior sicut vos; » qui idem S. Doctor ad Judæos judicandos et condemnandos, criminales quemdam adversus ipsorum scelera processum contempsit, hunc in modum per os Christi loquitur : « Possom condemnare vos tanquam incredulos, tanquam arrogantes, contumeliosos, tanquam Deo repugnan-

tes, tanquam ingratos, malignos, tanquam voluptatum potius quam Dei amatores, tanquam humanam captantes gloriam, Dei vero gloriam non querentes. »

3. — Hugo Cardinalis ait : « Multa habeo de vobis loqui, ad instructionem vestram, si volueritis; et judicare in futuro, id est, condemnare, si non poenitueritis. » Chrysostomus Christum hisce verbis demerita et peccata ipsorum, nec non quam habet illos judicandi et condemnandi potestatem detegere voluisse dicit; ita tamen, ut hoc in futuro facturum sit, nunc vero eum ipsis dissimulare velit, si forte respiciant : « Hoc enim significat : *Multa habeo de vobis loqui et judicare*, non tantum reprehendere, sed et punire; sed qui misit me, hoc est, Pater, non vult hoc; non enim veni judicare mundum, sed salvum facere; non enim misit Deus Filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvum faciat; si ergo ad hoc me misit, et ille verax est, merito neminem in presentiarum judicio, sed ad salutem loquor, non ad reprehensionem. »

4. — Lyranus nihilominus verba hæc in malam partem interpretatur; argute namque advertit, Christum non dicere : « *Multa habeo vobis loqui, sed de vobis; non dicit vobis ad utilitatem vestram, sed de vobis, id est, ut malum vestrum.* » Idem quoque Albertus Magnus scribit : « Male contra me per calumniam facta. » S. Thomas distinctionem quandam, Judæis minime favorabilem, adducit his verbis : « Sciendum quod aliud est loqui nobis et aliud loqui de nobis; nobis enim loquitur Christus ad nostram utilitatem, et scilicet ut ad se trahat, et sic loquitur nobis, dum vivimus, predicando, inspirando, et ejusmodi faciundo; loquitur autem de nobis non ad nostram utilitatem, sed ad suam justitiam ostendendam, et hoc modo loquetur de nobis in judicio fulguro. »

*Sed qui me misit verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.*

5. — Beda ait : « Videte, quemadmodum Patri dat gloriam equalis Filius Patri; » nimirum exemplum nobis dare voluit, ut in omnibus operibus nostris gloriam Deo referamus.

6. — Verbis hisce, auditorum animis personæ suæ veritatem insinuare intendebat, ut tanto securiorem ei fidem adhiberent; ac proinde, ut S. Thomas advertit, « Inducit etiam ad credendum Christum, veritas paterna; et quantum ad hoc, dicit : *Sed qui misit me, verax est*, quasi dicat : « Pater est verus. Quod ego autem loquor consonat ei; ergo loquor vera, ergo mihi debetis credere. » Unde idem S. Doctor verba illa : *Ego quæ audivi a Patre meo*, hæc glossa illustrat : « Quæ audivi ab eo, non auditu humano, sed per gene-

« rationem aeternam accipi, hæc loquor. » Interlinearis ait : « Idem est audire ab eo, quod esse ab eo. » Lyranus nihilominus aliter interpretatur, nimirum : « Quæ audivi a Patre ut Deus, hæc homo factus loquor in mundo; » simulque causam declarat cur dicat : « *Quæ audivi ab eo*, quia in quantum Deus habet scientiam a Patre eamdem, sicut et essentiam; sed in quantum homo, habet scientiam infusam ab eo; » et hanc scientiam mundo communicat. *Hæc loquor in mundo*, id est, ut Lucas Brugensis exponit : « Visibilis, in mundo constitutus loquor mundo dicit, quia quæ in Judæa loquebatur, nota fieri volebat toti mundo. »

7. — Toletus vero a predictis expositionibus omnibus diversum sentit; Christum enim his verbis rationem reddere voluisse credit cur illis delicta et scelera ipsorum nunc non improperet, nec eos tanquam Iudex supremum condemnet, nimirum, quia aeternum Patrem suum veracem esse, ostendere volebat, qui ipsum hunc in mundum miserat; Christus Dominus autem, ut paulo ante cum Chrysostomo notavimus, dixerat : *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum;* « quorum verborum sensus est, » ut inquit Toletus, « *Qui me misit, verax est*, ac si dicat : Deus verax est, quæ promittit, facit; promisit autem, ut prius mundum salvem, non ut judicem mundum; cum ergo verax sit, oportet me non judicare, nec damnare, nec accusare modo sed salvare. »

8. — Cajetanus super illa verba : *Loquor in mundo*, per ingeniosam quandam ponderationem ita scribit : « Significanter quoque dicit : *Loquor in mundo*; loquor, inquit, non scribo; et in mundo, non in angulo, non in uno regno, non in Asia, sed in mundo, quoniam doctrinam suam sic tradebat in uno loco, quod intendebat eam tradere mundo. » Eadem sacra Scriptura, idem Evangelium, eadem fidei nostræ dogmata, eadem, inquam, in tota christianitate universim sparsa et tametsi vox ipsius in sola Judæa audita fuerit, paulo post tamen per S. Apostolos, omnibus terrarum partibus doctrina ejus insonuit : *In omnem terram extitit sonus eorum, et in fines orbis terra verba eorum*; dieique vere poluit, hanc Apostolorum vocem Christum vocem esse, quia in ipsis ipse loquebatur et operabatur.

VERSUS 27.

*Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.*

1. — « Ecce cæcitas, quæ sibi lucem clare ostensam non videt, » inquit Albertus Magnus; etenim Hebræi, quotiescumque de lumine et notitia Dei agebatur, talpa cæciores erant, licet alias in lucris terrenis audacius, Argo oculatiores essent.

Jansenius, *cap. lxxvii*, dicit: « Est autem sensus: « Non cognoverunt quod Patrem dicebat, id est, « quod de Patre suo loqueretur. »

2. — S. Thomas, in *Joan.*, ait: « Reprehendit « tarditatem intellectus eorum; nondum enim « oculos cordis apertos habebant, quibus Patris et « Filii aequalitatem intelligerent; » ad hanc enim notitiam amor et dilectio Dei necessaria erat; mox enim Ecclesiasticus, *ii, 10*: *Diligite illum et illuminabuntur corda vestra*, ubi Lyranus ait: « Ferventius amando, et illuminabuntur corda « vestra, clarius cognoscendo; nam amor pene- « trare facit intima ipsius amati. » Enimvero Hebraei, ut S. Bonaventura scribit, Christum quidem quaerebant: *Quaeritis me*; sed quo fine? « Non « desiderio, sed odio. »

3. — S. Augustinus, *tr. xi in Joan.*, Christum, hunc in Iudeis cecitatem permisisse opinatur in particulare humanæ redemptionis beneficium: « Differo cognitionem meam, ut impleam passio- « nem meam. *I Cor., ii, 8*: *Si enim cognovissent, « nunquam Domini gloria crucifixissent. »*

4. — Chrysostomus, *Hom. lvi in Joan.*, porro hoc illis, ex parte Christi ignorantiae et cecitatis, his verbis praedicat supplicium: « Cum a cultu « excidisset, neque vobis solita sacrificia permit- « tentur, tunc divinam in vos indignationem obla- « tionemque, quia me non audistis, intelligetis. »

5. — Idem quoque Sanctus, quam sint inexorabiles, hisce verbis demonstrat: « O demantiam, « eum post multa signa et doctrinas, nihil ei « persuasisset, jam de cruce sermonem aggre- « ditur! » Ac proinde sequitur.

#### VERSUS 28.

*Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, et a me ipso facio nihil.*

*Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis.*

1. — Porro Christus Dominus crucifixionem suam exaltationem appellat. « Non solum propter « elevationem a terra factam, » inquit Jansenius, « per suspensionem in ligno, sed etiam propterea, « quod per mortem suam meruerit a Patre exal- « tari. » S. Joannes Apostolus, qui quanto cum gaudio Redemptor noster in cruce mortuus fuerit, propriis oculis conspexit: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempto*, *Heb., xii, 2*; hic, inquam, quando de hoc amaræ passionis ejus mysterio scribit, semper hanc phrasim scribit; siquidem præter hunc textum evangelicum, insuper *cap. iii, 14*, Evangelii sui ita scribit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Et *cap. xii, 32*: *Ego si*

*exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum; hoc autem dicebat, significans quia morte moriturus; et paulo post: Oportet exaltari Filium hominis; et merito hic S. Apostolus ita loquitur; siquidem ut S. Paulus, *Heb., ii, 9*, ait: *Videmus Jesum per passionem mortis, gloria et honore coronatum*; ubi S. Ambrosius ait: « Reddi quoque potest ratio cur crucifixioni suæ exaltationis titulum attribuat, siquidem omnia traxit ad seipsum: quia postquam in crucem actus fuit, universus mundus se ad Redemptorem crucifixum adorandum, obedientem et obsequiosum exhibuit. Unde Chrysostomus ait: « Christus orbem terrarum per crucem ad se al- « levit. » Et S. Leo, *Serm. viii de Pass.*, ait: « Traxisti, Domine, ad te omnia, et cum extendis- « ses tota die manus tuas ad populum non creden- « tem et contradicentem tibi, confitendæ majestatis « tuæ sensum totus mundus accepit. »*

#### Tunc cognoscetis, quia ego sum.

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis ait: « Tunc « cognoscetis, id est, tunc ignorare non licebit, « cœli enim tunc enarrabunt, et annuntiabunt firma- « mentum, et dies diei eructabit hoc verbum, et « nox nocti hujus rei indicabit scientiam, et non « erunt loquelæ, neque sermones, quorum non « audiantur voces eorum. » *Psal. xviii, 3*.

3. — Venerabilis Beda illud quoque in die Pentecostes, quando post Christi ascensionem Spiritus Sanctus super cœnaculum immissus fuit, adimpletum fuisse considerat; tunc enim Apostolus in nomine ejus miracula et prodigia maxima patran- « tibus, Judei, qui eum crucifixerant: « Compuncti « sunt corde, et qui sævientes occiderunt, mutati « crediderunt, et quem sanguinem saviendo fude- « runt, credendo hiberunt. »

4. — Imo in monte Calvarie, multi eum tan- « quam verum Dei Filium agnoverunt et confessi fuere, *Marc., xv, 30*: *Vere Filius Dei erat iste: revertentibus percutientes pectora sua*. Unde Tertul- « lianus hunc in modum pie meditat: « Despuir, « verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus « coronatur, mira æquanimittatis fides; qui homi- « nis figura propositus latere, nihil de impatientia « hominis imitatus est; hinc vel maxime Pharisæi « Dominum agnoscere debuissent, ut patientiam hu- « jusmodi nemo hominum perpetraret. »

5. — Dionysius Carthusianus hæc verba directa esse existimat ad prædicandum quorundam ibi presentium conversionem; siquidem in conspectu omnium Hebræorum, tunc in templo predicationi operam dabat: « Dixit illis, quos novit convertendos « ad se; in hac enim turba fuerunt nonnulli cœcæ, « quibus prædixit ordinem conversionis eorum. » Interlinearis quoque notat: « Inter eos fuisse alios « quos, qui credituri erant. » Sicut enim fel piscis illius, *Tob., vi, 9*, seniori lumen oculorum restituit,

Angelo id asserente, dum ait: *Fel valet ad unguendos oculos, in quibus fuerit abugo et sanabuntur*; ita quoque amarissimum fel dira Passionis Christi ignorantiam et cecitatem multorum incredulorum Hebræorum illuminavit. « Præsentiat Christus, » inquit S. Thomas, « per quod pervenire debeant ad « fidem, nempe per passionem ejus. »

6. — S. Augustinus, *tr. xi in Joan.*, postquam verborum illorum: *Cum exaltaveritis*, sensum declarasset, subjungit: « Hoc oportebat impleri per « manus eorum, qui postea fuerant credituri, qui- « bus dicit hoc. Quare? nisi ut nemo, in quocumque « scelere et male sibi conscius desperaret, quando « vident eis donari homicidium, qui occiderant « Christum. »

#### Quia ego sum et a meipso facio nihil.

7. — S. Thomas, in *Joan.*, ait: « Id est, habeo « in me naturam Dei et sum ille, qui locutus est « Moysi, dicens: *Ego sum qui sum*; et a meipso « facio nihil; sed sicut docuit me Pater, etc., quia « cepit Jesus facere et docere. » Porro dubus præ- « cipue in rebus Filium se Dei declarare intendit, « nimirum in operibus, ac proinde dicit: *A meipso « facio nihil*, supra *Joan., v, 19*: *Non potest Filius a se « facere quidquam*; et in doctrina quam docebat, quia paulo post protestatus est, dicens: *Sed sicut docuit me Pater, etc.*

#### VERSUS 29.

*Sed sicut docuit me Pater, hæc loquar et qui me misit, mecum est et non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.*

#### Sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.

1. — S. Augustinus, *tract. xi in Joan.*, hæc verba ita exponit: « Id est, docuit me Pater, quod « est, scientem genuit me Pater; » siquidem Patris ei sapientia communicata fuit.

#### Et qui me misit, mecum est.

2. — Chrysostomus dicit, Dominum non sine causa subjunxisse: *Mecum est*, ne secundum divi- « nam naturam Patre inferior esse videretur. « Et « ne hoc verbo: *Qui misit me*, minor Patre existi- « maretur, secum esse dicit. »

3. — S. Augustinus verbum *Misit* glossando de Incarnatione Verbi illud intelligit: « Missio incarna- « tio est, et ipsa incarnatio Filii est tantum et non « Patris. » Dum autem ait: *Mecum est*, juxta Toleti expositionem, « idem facit, ac si clarioribus verbis « dictum esset: *Sum Filius Dei, unius et ejusdem « substantiæ et potentiæ cum ipso, cujus una est « indivisa essentia, potentia et operatio*. Pater meus « mecum est, mecum operatur. »

4. — Dionysius Carthusianus Patrem non tantum secundum naturam divinam, sed etiam humanam

inseparabiliter esse probat. Quod autem quoad natu- « ram divinam, indubitatum est, quia « Filius est Deus « per identitatem essentiæ, » quoad naturam vero humanam idipsum hoc modo probat: « In quantum « est homo, est Pater in eo specialissimam inhabi- « tationem et singularissimam gratiam, intimam et « inseparabilem gratiæ animæ, atque beneficium « fruitionem; » siquidem anima Christi divina fru- « batur essentia et beata erat.

#### Et non reliquit me solum.

5. — Albertus Magnus ait: « Quia nunquam sum « relictus ab ipso, cujus Deitati sum unicus et « voluntati per omnia conformis; » quia vero con- « tra hoc opponi poterat, quod in Crucis patibulo dixit: *Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* ideo protinus respondet ad objectionem: « Dicendum, « quod nunquam dereliquit quoad unionem et « beneplacitum, sed quoad exterioris hominis « assumpti defensionem, quando hominem illum « passioni exposuit. »

6. — Hugo Cardinalis circumstantiam quamdam hisce verbis comprehensam ponderat, eæ quoque utilissimam quamdam deduci moralitatem; etenim Christus rationem, cur Pater seipsum secum fuerit, immediate subjungit, dicens: *Quia ego quæ placita sunt ei, facio semper*; unde hanc deducit conclusio- « nem: « Et hoc quoad homo vult facere ejus « voluntatem, nec repugnat voluntati divine; » etenim unusquisque tunc vel maxime securus erit, quod Deus illum per suam divinam gratiam et auxilia supernaturalia, nunquam deseret aut destituet, si in divinæ voluntatis adimpletione constanter persistit.

#### Quia quæ beneplacita sunt ei, facio semper.

7. — Idemmet Cardinalis ait: « Id est: In saltu « tem humani generis, quæ est voluntas Patris, « quasi dicat: Ideo nunquam a me recedit gratia, « quia nunquam subintrat culpa; » ac proinde Lucas Brugensis ait: « Neque enim deserit Pater « eos, qui, quæ placita sunt ei, faciunt semper; qui « deseritur a Deo, sibi que derelinquitur, nihil ille « recte agit. »

8. — S. Bonaventura Christum, tantam in æterni Patris sui voluntate adimplenda complacentiam et delectationem habuisse observat, ut hanc adimple- « tionem cibum suum appellaret, *Joan., iv, 35*: *Meus « cibus est, ut faciam voluntatem Patris*. Et quidem id verum esse ipsemet Christus pluribus in locis pro- « testatur, *Joan., vi, 38*: *Descendit de celo, non ut « faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui « misit me*. *Heb., x, 7*: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*.

9. — Advertendum est autem, quod Dionysius Carthusianus ait, nimirum, quod secundum natu- « ram divinam Filius « indesinenter fecit, quæ com-

« placent Patri a principio mundi, quoniam opera  
« tio Patris ac Filii ad extra est indivisa, et est  
« amborum una voluntas et potestas, quidquid  
« facit unus, facit alius et summe complacet al-

« teri, porro secundum naturam assumptam, fecit  
« Filius a principio Incarnationis, que compla-  
« cent Patri, quia obedientissimus fuit voluntati  
« divine. »

## FERIA TERTIA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXIII, VERS. 1

1. Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos dicens :
2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei.
3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere ? dicunt enim, et non faciunt.
4. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.
5. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.
6. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis.
7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.
8. Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.
9. Et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.
10. Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus.
11. Qui major est vestrum erit minister vester.
12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur.

### VERSUS 1.

*Locutus est ad turbas et ad discipulos suos.*

1. — Christus ad turbas pariter et discipulos suos, discursum hunc pronuntiavit, ad illas quidem, ut erga eos, a quibus edocendi erant, quod munus proprium est Ecclesiasticum, debitum respectum, venerationem et reverentiam iisdem imprimeret, etiam si tales moribus et vitæ conversatione, bonis doctrinis et dogmatibus suis minime corresponderent; ad Apostolos vero locutus est, ut, dum hi, illum Scribas et Phariseos reprobantem et graviter reprehendentem audirent, eosdem in suo quoque ministerio exequendo, cautos et circumspectos efficeret; siquidem ut Semeca scribit : « Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia, » et ideo sæpenumero illos monebat, dicens : *Caveat a fermento Pharisæorum.*

### VERSUS 2.

*Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei.*

1. — Non est hoc ita intelligendum, ac si Scribæ et Pharisei in eadem cathedra, e qua Moyses suo

tempore docerat, considerent, hæcque cathedra ad ea usque tempora conservaretur; ad eum modum, quo etiamnum in hodiernum diem usque, cathedra conservatur S. Petri, sed per hanc cathedram, sacri Interpretes hoc loco instructionem circa legem a Moysæ traditam, intelligunt. Unde S. Hieronymus ait : « Cathedra doctrinam legis ostendit. » S. Anselmus : « Magisterium doctrinæ, quam docuit Moyses; » vel etiam juxta expositionem Lucæ Brugensis : « Intelligitur per cathedram Moysi, quæ auctoritas promulgandi, interpretandique legem Dei, ac populum juxta eam judicandi et regendi, quæ primis a Deo fuit auctus Moyses. »

2. — Questio hoc loco non inopportuna moveri potest, cur scilicet hæc cathedra a Moysæ et non potius ab Aarone appellationem suam habeat, cum tamen hic summus Sacerdos et Ecclesiasticus fuerit, ad quos proprie pertinet instruere populos, adhuc, cum Aaron eloquens, facundusque fuerit, illi potius quam Moysi in hac cathedra locus debere videretur, cum Moyses hællus et elinguis, ac sæcularis populi Princeps existeret. Respondetur, legem, quæ in hac cathedra doctrinaliter tradebatur, a Moysæ allatam fuisse, ac proinde ab ipso, cathedra Moysi appellatur et quidem tametsi verum sit, Moysen loquenti

difficultate haud parum laborasse, manu tamen sua, id est, per virgum suam egregie operabatur. Efficacissime autem in cathedra illi Oratores perorant, qui exemplis et bonis operibus potius quam verbis et voce loquuntur. Unde S. Leo, *Serm. de S. Lour.*, ait : « Facilis ad exhortandum sit oratio efflicax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quam verba, et plenius est opere docere, quam voce. »

### Sederunt.

3. — Tametsi Scribæ et Pharisei ministerium, etiamnum in presenti actualiter adhuc adimplerent, incarnata tamen Sapientia non sine causa in tempore præterito dicit : *Sederunt*, quia *Lex et propheta usque ad Joannem*, et ideo jam auctoritatem et jurisdictionem suam perdidissent, lege Evangelica jam in ejus locum subingrediente.

4. — Hæc sessio auctoritatem ipsorum indicabat. Unde Cajetanus *Sederunt*, ita explicat : « Auctoritas tam habuerunt, ut Judices presidentes, » ac proinde vigore hujus potestatis, iis obtemperari, eosque in veneratione haberi volebat. Unde Beda ait : « Propter sacerdotum, nominisque dignitatem exhortatur populos, ut subjiciantur eis; non opera, sed doctrinam considerantes. »

5. — In hoc quoque verbo *Sederunt*, error quidam notari potest multorum Prælatorum et superiorum communis, qui ad dignitates aspirant, easque ambiunt, et studiosè venantur, non alio fine, quam ut sedeant, seu ut quietem et animi remissionem sibi capiant, delicate et commode vitæ omnem operam dantes. Unde per quotidianam experientiam multos videmus, qui superioribus temporibus vel justitiam administrando, vel laboriosis studiis tradendis operam dando, vel munia alia difficilia exerecendo defatigati dicere solent : Dabo operam, ut Ecclesiam aliquam vel Episcopatum prædixit nanciscar, ut tantisper requiescere liceat, et nunquam vere requiescunt et suaviter obdormiscunt, sed super lana gregis, quem tondent, copiosos sibi redditus congregando, ut quietius et suavius vivere possint. Interea vero Apostolus ad Timotheum, II, 1, scribit : *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; id est, ut Hieronymus verba illa glossando exponit : « Non opes, non dignitas, non divitias, sed opus, laborem desiderat. » Tales erant hi Scribæ et Pharisei, qui nihil aliud quam venerationem, honorem et reverentiam a mundo exhibendam, non vero animarum salutem et profectum desiderabant, *Matth.*, II, 6 : *Amant primos recubitus, primas cathedras, salutationes in foro, vocari ab hominibus Rabbi*, etc., ad sedendum solum, non vero ut se quoad intronizare possint, spectantes.

6. — Paulus de Palatio hoc loco querit, cur Christus dixerit : *Sederunt*, non vero ascenderunt, « aut steterunt, » usitatum enim est, quod Prædi-

catores, tametsi nonnunquam sed rarius sedeant, majori tamen ex parte verbum Dei stando et erecto corpore populo annuntiant et respondet : « Non omnibus Predicatoribus obedienda debetur, sed his, qui prædicant ex officio, aut munere sibi commisso; his enim, qui nondum prædicant ex functione commissa, sed ut ad prædicandum se exerceant, nondum parere tenemur, ii enim nondum in cathedra sedent, licet sedere contentant. »

7. — Auctor Imperfecti, *Ihm. XLIII*, in eos Sacerdotes, qui solo nomine tales sunt, seu qui in hac cathedra indigne sedent, vel qui reverentissimo sacerdotii gradu abutuntur, graviter his verbis invehit : « Multi Sacerdotes et pauci Sacerdotes, « multi nomine, pauci opere; videte ergo, quando « sedeatis super eam, quia cathedra non facit « Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram; non locus « sanctificat hominem, sed homo locum; qui bene « sederit super cathedram, honorem accipiet ab « illa; qui male sederit, injuriam facit cathedræ; « ideoque malus Sacerdos de sacerdotio suo crimen « acquirit, non dignitatem. » Et Origenes, *tract. xxiv in Matth.*, dicit : « Is tamen bene sedet, qui « prius facit, quam dicat, qui prius portat onus, « quam aliis imponat. »

### Scribæ et Pharisei.

8. — S. Paschasius, *lib. X in Matth.*, inter duplex hoc hominum institutum hanc intercedere differentiam docet : « Tradunt quidam, quod Scribæ dicantur, quia a littera legis non recedunt, et Pharisei, qui magis aliquid de lege se nosse profitentur et ideo seipsos quasi meliores ac doctiores a cæteris dividant, unde et Pharisei vocantur, quod interpretatur divisi vel segregati; » quales inter nos sunt hodie religiosi et claustrales magis reformati. Dionysius Carthusianus nullos ex his Sacerdotes et de numero septuaginta seniorum populi fuisse existimat, qui tempore Moysis totius Republicæ Hebræorum ordinarii Judices et Consiliarii, ætate proveci et doctrina insignes erant. Hoc supposito, querit Cajetanus, quare Christus nullam Sacerdotum aut Pontificum mentionem fecerit ? Et respondet : « Propter reverentiam ordinis sacerdotalis; » et ecce tibi ipsissima ejus verba, quæ in hujus favorem habet : « Lege Evangelium; nunquam invenies Jesum nominasse Sacerdotes aut Pontifices, arguendo et reprehendendo, sed Scribas et Phariseos professores scientiæ et morum, instruendo Prædicatores, ut non prædicent contra Sacerdotes aut Pontifices in specie, propter reverentiam ordinis. »